

## CAPUT IV.

EXPRESSIONEM SACRAMENTALEM PECCATORUM, IN SUMMA NECESSITATE, POSSE ESSE EPISTOLAREM, SUARIS SENTENTIA VARIIS DOCTORIBUS PROBATA.

Non est quod quis fragoribus, qui de Alvaris, ac Nugni et asseclarum nube detonuerunt, absterreatur, quominus in oppositam ipsis sententiam a Suare traditam, eat. Est enim segura, et plane nitens, ac exquisite probabilis.

*Suaris sententia de confessione epistolari in summa necessitate.* — De Suaris ergo sententia, in extrema necessitate, expositio sacramentalis peccatorum, formalis aut virtualis, potest fieri sacerdoti absentis, interventu litterarum aut internuncii. Voco *formalem expositionem peccatorum*, eam quæ obitur enumerando sigillatim ac distincte peccata admissa; *virtualem vero expositionem* appello, eam quæ fit editis signis externis doloris peccatorum, addita advocacione confessarii, ut præsens absolutionem impendat. Illa enim exhibitio signorum doloris de peccatis admissis, juncta significatione voluntatis præsentis et absolutæ confitendi illa peccata, et addita insuper expetitione confessarii, quem pœnitens ad finem conficiendi sacramentum advocari curat, est expositio peccatorum, qualem facere potest pœnitens prorsus impeditus ad confessarium accedere. Et quamvis nullum peccatum distincte et explicite sit expressum, est tamen aliquid apud Deum æquivalens formali expositioni peccatorum, quod sufficit ut pœnitens absolvi possit a sacerdote, adducto ad pœnitentem jam sui impotem; vel ob idoneam causam non obligatum, cum sacerdos advenerit, exponere aliquid distincte et sigillatim, ne ejus confessio evadat publica, eive graviter damnosa; in quo eventu, ratum est apud Doctores omitti posse confessionem distinctam peccatorum. Hic igitur est status controversiæ inter Suarem et nuperos Thomistas. Alio autem pertinet, et ab hac controversia extraneum est, quod præterea quæri posset de eo qui, absente sacerdote, elicit quidem externa signa doloris, quæ, per relationem fidelium testium, comperta fiant adveniienti sacerdoti; omisit tamen explicitam signorum illorum directionem ad claves, quia ita doluit exterius de peccatis, ut tamen non expetierit confessarium, nec jusserit eum advocari; imo neque dixerit cupere se de pec-

catis sacramentaliter confiteri. Hoc dubium aio esse isti controversiæ extraneum, ac proinde seorsim esse excutiendum; quia non est de hac re contentio inter Suarem et nuperos Thomistas. Quinimo Suarez negat talem pœnitentem absolvi posse a sacerdote cum advenerit, in quo Thomistæ non reclamant. An vero reclamari possit, seorsim attingam.

*Suaris sententia non modo segura, sed perperam ab inimico damnata.* — Sistendo itaque in negotio circa quod Suarez et nuperi Thomistæ dissentiant, sive in expressione peccatorum facta sacerdoti absentis, cum summa necessitas obstat additioni sacerdotis, et præsentia ejus cum pœnitente, contendo sententiam Suaris non modo securam esse, contra Thomistas prædictos; sed etiam perperam ab inimico, etiam ultore, damnatam esse improbabilitatis. Restrungenda tamen est assertio ad expositionem peccatorum; nec est huic loco admiscenda confessio sumpta pro sacramento integro, firmato per absolutionem sacerdotis; in quo Nugnus et Alvarez parum fideliter egisse videntur, vel certe magna confusione laborasse. Confessio enim pro sola expressione sacramentali peccatorum, et confessio sumpta pro integro sacramento pœnitentiæ, comprehensa sub confessionis nomine absolutione sacerdotis, toto celo differunt. Unde miscere argumenta quibus impetitur absolutio collata ab absente, et argumenta quibus impugnatur sacramentalis expositio peccatorum facta absentis, est susdeque confundere omnia. Nugnus autem et Alvarez illa duo miscuerunt; et quasi unum et idem essent, argumentantur eodem tenore, nunc contra unum, et nunc continenter contra aliud; tum regrediuntur ad primum, continuata disputatione, quasi non sejungerentur. Sic Nugnus, orsus ab impugnatione absolutionis peccatorum scripto transmissæ, non interciso disputationis filo, perinde ac si pergeret in eadem impugnatione, argumentatur contra expositionem peccatorum factam absentis. Tum eodem ductu disputationis impugnat absolutionem absentis impensam, et omnis reliqua ejus disputatio eadem confusione laborat. At par fuerat tantum Magistrum non cæcutire in re tam perspicua. Duo namque illa: *Absolvi ab absente, et edoceri de peccatis absentis*, admodum abjuncta sunt, nec ullus est inter utrumque nexus. Quod si affirmandum Nugno videbatur, quemadmodum reprobum est atque damnatum, absolvi a sacerdote absente, ita eandem esse ratio-

nem expositionis peccatorum factæ absentis, hoc ipsum erat quod probare seorsim oportebat, non autem permixtim duo illa exagitare atque involvere, perinde ac si non discreparent.

*In eventu magnæ verecundiæ, quid nonnulli senserint de confessione epistolari.* — Hærendo igitur in sola sacramentali expressione peccatorum, spectata seorsim ab sacramentali absolutione, ut constet num possit esse idonea ad compactionem sacramenti, distinctio adhibenda est. Extra gravissimam namque et urgentissimam necessitatem, talis expressio peccatorum per litteras vel internuncium sacerdoti absentis facta, non modo est illicita, sed etiam invalida. Continet enim gravem in re sacramentaria mutationem, et elongationem a praxi Ecclesiæ et usu receptissimo fidelium; atque adeo sordet gravi peccato, cum quo non potest cohærere validitas sacramenti ex parte pœnitentis. Quod usus inter fideles, hac in parte receptissimus, ferat expressionem sive confessionem peccatorum fieri verbo, nullum est dubium. In eventu quidem admodum infrequenti magnæ verecundiæ, præsertim in sexu infirmiore, fuerunt qui admitterent indulgeri posse ut persona, præ verecundia prope insuperabili, non valens a se impetrare ut aliquid probrosum ore enunciet, illud scripto comprehensum exhibeat sacerdoti præsentis, dicens hæc esse sua peccata de quibus doleat et absolvi petat. Ita Canus, Relect. de pœnit., parte 5; Valentia, disputat. de pœnit., quæst. 11, part. 1, in fine; et Suarez, tom. 4, tertia parte, disput. 21, sect. 6, num. 6, idque S. Joannem Eleemosynarium auctorem fuisse insigni peccatrici ut faceret, scribit in sancti viri Actis Leontius. Sane nisi expressio culpæ posset aliquando absque verbis propriè dictis peragi, male ageretur cum multis, quia fraudarentur absolutione peccatorum quæ scripto exhibeant sacerdoti præsentis, aut nutibus digitorum exponant, adhibita (ut Casiodorus, lib. 1, epist. 20, et lib. 4, epist. 51, loquitur) oratione muta qua plura et plerumque melius expriment, quam alii quibus est lingua expedita. Inde ergo manifestum est expositionem peccatorum non esse essentialiter verbis presse dictis faciendam, quamvis absolutio, necessario et substantialiter deponat veras voces; proptereaque mutus nequeat sacramentaliter a peccatis absolvere. Invaluit tamen consuetudo, a qua extra gravem causam non est recedendum, ut peccatorum expositio voce propriè dicta peragatur.

*Quid de pœnitente incarcerato, nec sperante longam sacerdotis colloctionem.* — At multo magis invaluit usus, ut, extra causam omnino gravem, nemo exponat sacramentaliter sua peccata, nisi præsens præsentis sacerdoti; cui usui, quamvis nihil contineat substantiale sacramentali expressioni culpæ, standum est cum per necessitatem summam licet; quamvis, cum ea necessitas urget, fas sit aliter facere, verbi gratia, cum æger destitutus copia sacerdotis, timet neis, quantumvis sollicitè evocatus, serius adveniat, et jam mentis impotem deprehendat. Aut cum pœnitens arcto carcere conclusus non sperat longam sacerdotis ad se venturi colloctionem, sed prævidet fore ut raptim dumtaxat, et prope ad momentum, cum sacerdote possit agere; tunc enim expressio peccatorum præmissa scripto, aut nuncio submisso ad sacerdotem rogatum ut adveniat, et expositionem illam peccatorum dolore debito perfusam absolutione data præsens formet, fuit vera expressio sacramentalis peccatorum, etiamsi, cum sacerdos advenerit, pœnitens ob circumstantes, forte fidei hostes, quos par sit non advertere quod peragitur, nullum novum externum signum præbeat suæ voluntatis non retractatæ. Et idem esset si expressio peccatorum non posset fieri quin esset publica; eo quod non possent summoverti astantes. Ad publicam enim peccatorum expressionem nemo tenetur, dummodo possit sibi prospicere per contritionem, qua de re alio loco. Necessitas porro declarata ex parte pœnitentis, quomodolibet prædicti, æque declarari potest ex parte sacerdotis, si is conclusus carcere inter hostes fidei, non nisi raptim et valde obiter agere posset cum pœnitente alterius confessarii copiam non habente, et tamen gravato culpæ, quarum exoneracione per sacerdotis absolutionem indigeat.

*Quidam eventus summæ necessitatis pro ejusmodi peccatorum confessione.* — De hoc eventu quid fingat Coquetius. — Quamvis autem eventus summæ necessitatis, in quibus expositio sacramentalis peccatorum potest fieri sacerdoti absentis antecederet ad absolutionem ab eodem præsentis impendendam, possint proferri multiplices, ut monstrabo capite ultimo, tamen hoc loco insistam ei expositioni peccatorum factæ absentis, quæ potest omnium difficillima et impeditissima videri; nempe qua pœnitens, priusquam sui impos fieret, exposuit peccata sua admodum confuse, per expressionem voluntatis confitendi, quamvis

fortassis nec ullum externum signum dederit doloris de peccatis, nec ullum peccatum distincte ac sigillatim expresserit. Qui enim concesserit valere absolutionem sic in absentia confitenti a præsente sacerdote datam, multo magis admittet valituram, in summa necessitate, distinctam et explicatam culparum expressionem præviam, aut præsentem, exhibitam per indicia generalia, ut tusionem pectoris, brachii astrictionem, absolutione vocali a præsente sacerdote formandam. De hoc eventu lepide Coquetius, cap. 7 dissertationis, num. 20, fingit litem esse plane novam, et a nullo antiquo factam, cum ante tempora Clementis VIII disputatum duntaxat esset, an moribundus absolvi posset, qui coram præsente sacerdote per seipsum exhibuisset signa doloris de peccatis, etiamsi ob oppressionem nullum peccatum in specie expressisset. Fingit sibi hæc somnia Coquetius. Nam ante Clementem, quotquot decreta S. Leonis et Concilii Arausicani, ac duorum Carthaginensium, discusserrunt quod fecere omnino muti; eventum, quem iste primum sub Clemente agitatum esse commiscitur, expenderunt; et an esset in eo danda vel neganda absolutio, examinarunt.

*Exceptio peccatorum per litteras quando sit legitima absolutionis materia.* — Eam ergo expositionem peccatorum, ab homine adhuc sui compote factam, et sacerdoti absenti renunciata per litteras vel internuncium pœnitentis, aut eidem sacerdoti per testes idoneos, qui affuerunt cum pœnitens suam voluntatem confitendi exprimeret, manifestatam, et multo magis si voluntati confitendi exterius patefactæ adjunxerit externa signa doloris, esse validam expositionem sacramentali peccatorum, et legitime absolutionis materiam, affirmat Suarez, tom. 4, tertia part., distinct. 21, sect. 4 editionis Lugdunensis, et disputat. 23, sect. 1, num. 5, allegans Paludanum, Antoninum, Sylvestrum, Joannem Medinam, Angelum, Cordubam, Ruardum, quibus alii omnino multi possunt addi, ut Tolemus, lib. 3 Instruct. Sacerd., cap. 8, dicens *hanc esse apertam sententiam Canonum*; Valent., 3 part., disput. 7, quæst. 11, part. 1, assertione 2 de Confessione secreta: Ægidius Coninck, 3 part., disputat. 7, dub. 10, et tract. contra Coquetium, de Absolutione moribundi; Joannes Angelus Bossius, part. 1 Variorum tractat. moral., tit. 1, § 25, a num. 363; Bellarmin., lib. 1 de Matrim., cap. 8, § *Ab ea quæ*; Cordub., quæst. 30 de Indulgent.; Layman,

de Pœn., cap. 3, num. 9, in fine; Villalobos, tom. 1, tractat. 9, difficult. 37; Fernandus de Moure, in Exam., cap. 7, § 6, num. 30; Mo-nac., disput. 5, de Sacrament., quæst. 7, part. 5, § 3, num. 10, et tom. 3, disput. 2, quæst. 3, part. 33, num. 4; Filiucius, tract. 7, cap. 1, num. 18, et cap. 5, num. 122; Cardin. de Lugo, disputat. 17 de Pœn., sect. 4, num. 45; Zambranus, cap. 4, dub. 2, sect. 3; Sylvius, ad quæst. 9 supplement., artic. 2, quæst. 4; Alexand. Pesantius, ibid., quæst. 10, disput. 11, et alii plerique a Diana, part. 3, tract. 3, resolut. 4, addensati. Nam ad duos supra triginta auctores pro hac doctrina appendit. Verum est Alvarem 1. 2, disput. 80, in difficult. addititia, num. 51, versare se in omnem partem, ut auctores quos dixi a Suare allegatos huic sententiæ eripiat; cui inhæserunt, toto conatu eandem agitantem molam, Coquetius et Davila; sed tam infeliciter id præstant, ut nihil sit opus cum eis altercari; quandoquidem codices non interciderunt, et vel perfunctoria auctorum illorum lectione, liquido patebit eos a doctrina proposita stare.

Unicum in præsentia Alvari ejusque partiaris auctorem, nulla tergiversatione declinabilem, obrudo, S. Thomam; si ipse (ut fert multorum Thomistarum sententia) est auctor Opusculi 65, quod est de officio sacerdotis. Sic enim in eo opusculo legitur de Extrema-Uctione: *Si infirmus qui petit unctionem, amisit notitiam vel loquelam antequam Sacerdos veniret ad eum, nihilominus unget eum Sacerdos, quia in tali casu, debet etiam baptizari, et a peccatis absolvi, ut cap. Majores extra, de Baptismo et ejus effectu.* En diserte admittit hominem nondum baptismo initiatum, si prius baptismum petierit, adveniente autem ministro factus fuerit sui impos, debere baptismo lustrari. Et similiter concedit alium jam baptismi participem, si ad statum illum impotentiae mentis deveniat post expetitam absolutionem peccatorum, debere a peccatis absolvi. Aperte ergo hic auctor adscribitur sententiæ pro qua satagimus. Fateor ambigi merito posse an auctor illius Opusculi sit D. Thomas, ut præfert inscriptio. In Romana certe editione, jussu Pii V concinnata, illud Opusculum inter gerras collocatum est, et a legitimis S. Doctoris foetibus sepositum. A Thomistis tamen, vel eo duntaxat nomine quod S. Thomæ titulum jam diu prætulit, non censebitur contemnendum. Et cujuscumque demum auctoris sit, explicatissime tradit doctrinam cui firmandæ operam damus, cui item

innumeri, et antiqui, et recentiores astipulantur. Non esse tamen doctrinam illam extendendam ad eum qui ante oppressionem dixisset: *Vellem confiteri si sacerdos adesset*, et subito obmutesceret, admonet Ægidius Coninck, lib. de Absolut. morib., num. 14, rationem reddens, quia talis nec habet nec exprimit hic et nunc absolutam voluntatem confitendi, sed tantum exprimit voluntatem sub conditione futuram: Si sacerdos adesset; cujusmodi voluntas præcise conditionata non sufficit ad validam sacramenti confectionem. Hoc quanquam verum est, agendo præcise de voluntate mere conditionata, tamen an possit præsumi adesse simul voluntatem absolutam ex qua sacramentum confici possit, attingam infra.

## CAPUT V.

## CONCILIA ET PONTIFICES PRO SENTENTIA PROPOSITA.

Auctoritas tot Doctorum, quos sententiæ pro qua satagimus astipulatos diximus, non potest exigua videri. Potior tamen ac fortior censi merito debet auctoritas variorum Conciliorum atque Pontificum, quam productum venio.

*Concilium Arausicanum.* — Concilium Arausicanum I, cap. 12 (et refertur cap. *Qui recedunt*, 16, quæst. 6) sic statuit: *Subito obmutescens, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium, ex aliorum verbis habet, aut presentis in suo nutu.* En, sicut voluntas et dispositio præsens, per nutum ægri non prorsus oppressi prodita, sufficit, ex mente Concilii, ad impendendam tali ægro absolutionem, ita cum æger plane oppressus nullum edit signum suæ præsentis voluntatis, ex quo innotescat sacerdoti actualis dispositio ægri, sufficit testimonium idoneum ex quo sacerdoti constet de dispositione præterita; quæ, si nihil in contrarium urgeat, præsumetur perseverans, et non retractata; et ratione ejus impendetur absolutio pœnitenti ægro, nullum externum signum præsentis suæ voluntatis dare valenti.

*Concilium Carthaginense.* — Concilium Carthaginense III, cap. 34, et refertur cap. *Ægrotantes*, de Consecr., distinct. 4, sic habet: *Ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur; similiter et de pœnitentibus agen-*

*dum est.* Ita hunc canonem refert contextus Concilii Carthaginensis ac Concilii Africani, et Ivonis citantis Isidorum, ut notant emendatores editionis Gratiani, apud quem pro verbis illis, *cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint*, corrupte habebat, *cum voluntas eorum, testimonium sui dixerit.* Sed omnes vetusti codices Gratiani legunt eo modo quo retuli prius. Et esse legitimam lectionem, patet ex Græco contextu canonis hujus Carthaginensis, qui sic habet: *ὅτε τῆ αὐτῶν προαιρέσει, τὴν περὶ αὐτῶν μαρτυρίαν ἰδὼ ἐπαιν.* Eodem recidit lectio quæ habetur in aliis codicibus canonum Africanorum, et apud Burchardum: Cum voluntatis eorum testimonium, hi, qui suis periculo proprio affuere, dixerint.

Concilium Carthaginense IV, cap. 67, et refertur cap. *Is qui*, causa illa 26, quæst. 6, sic mandat: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit, admonetur a supradictis testibus petitioni suæ satisfactum, et subdatur statutis pœnitentiæ legibus.* Quid clarius in rem propositam?

*Synodus Visensis.* — Synodus Visensis, in Lusitania, ann. 1617, celebrata, sub Joann. Emmanuele, lib. 1, tit. 5, consil. 2, num. 10, præcipit ut is ad quem jam plane positum sacerdos pervenit, absolvatur, si qui affuerunt cum is sui compos esset, testentur quod petierit confessionem.

Venio ad seita Pontificum, quos inter Burchardus, libr. 18, cap. 11, et Ivo, parte 15 Pannoniæ, cap. 35, adducunt Eusebium primum. Sed is alium eventum spectavit, ut dicam cap. ultim. Explicate ergo in rem nostram agit S. Leo, epistol. 89, alias 91, quæ est ad Theodorum, verbis illis: *Si aliqui aegritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub presentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium et circumstantium prodesse debebunt; ut simul et pœnitentiam et reconciliationis beneficium consequantur; servata tamen regula canonum paternorum, circa eorum pœnitentiam, qui in Deum a fide discedendo peccarunt.* Hos S. Leo non vult abjici; sed, juxta superius dicta, ex cap. *Is qui*, mandat absolvi, cum eo tamen onere ut, si convalescant, subeant mulctam quæ fuisset illis imposita, si sanita-